

*Salis con-  
ficiendi  
nova ra-  
tio.*

In ora hic maritima multis in locis fabuli cu-  
mulos videas, quibus aquam subinde infundunt,  
donec salsuginem contraxerit, quam postea, sub-  
ditis glebis in candidum salem excoquunt. Non-  
nullæ sunt hic etiam infidæ arenæ & rapaces (fa-  
bulum vivum dicunt) itinerantibus adeo pericu-  
losæ dum compendia recedente æstu seellantur,

ut maxime caveant ne terreno itinere, cum Sidon-  
io loquor, pedestre naufragium faciant; præci-  
pue vero circa *Cocari* ostium, ubi Sirtico quasi a-  
gro *Cockersand Abby* Cluniacensium jampridem  
monasteriolum, à Ranulpho de *Mesches* funda-  
tum, sed ventorum violentiæ expositum inter  
*Cockari* & *Luni*, sive *Loni* ostia interjacet, & ma-  
re Hibernicum longe lateque diffusum pro-  
spectat.

*Lonus* ille, vulgo *Lune*, ex Westmorlandie mon-  
tibus scatens, in Austrum ripis impeditioribus,  
& inæquali alveo delapsus, accolas æstivis men-  
sibus opima Salmonum pescatione ditat, qui  
cum aqua limpida, & arenosis vadis præcipue  
lætentur, in hunc & alios hujus oræ fluvios con-  
fertim penetrant. Quam primum Lancastren-  
ses inviserit, *Lacus* amniculus ab Ortu aquas il-  
li committit suas. Quo in loco nunc *Over Burrow*  
est, pertenuis sane rusticorum viculus, quem ur-  
bem magnam fuisse, amplisque campos inter  
*Laccum* & *Lonum* occupasse, & ad extrema dedi-  
tionis, fame nihil non experta, compulsam no-  
bis memorarunt incolæ, quod à majoribus quasi  
per manus traditum acceperunt. Et variis certe  
præscæ vetustatis monumentis, insculptis lapidi-  
bus, tessellatis pavimentis, Romanorum num-  
mis, & nomine hoc novo quod nobis *Burgum* de-  
notat, locus iste antiquitatem suam afferit. No-  
men vero antiquum si recuperet aliis, non mihi  
debeat, et si ut formicæ semitas anxia sedilitate  
quaesivi, nec est cur quis putet singulorum in Bri-  
tannia oppidorum nomina sigillatim in Ptole-  
mæo, Antonino, Provinciarum Notitia, & classi-  
cis authoribus adnotari. Si tamen conjecturæ sit  
locus, BREMETONACVM, (quod aliud fuisse  
à BREMENTVRACO vere judicat Hieronymus  
Surita Hispanus in suis ad Antoninum Notis)  
ex distantia ratione à Coccio vel Rible-chester,  
libens opinarer.

Ab hoc *Burgo Lonus* flu. Thurland Tunstallorum  
propugnaculum, à Thoma Tunstall Equite auro-  
to tempore Regis Henrici Quarti extructum,  
cum Rex licentiam dedit firmandi & Kernallandi  
mansum, id est, loricis incingendi, & Hornby egre-  
gium castellum prætervelhitur, quod N. de Monte  
Begonis conditorem, Dominosq; suos Harringtonos  
& Stanleios Barones de Monte Aquila sive Mont Eagle à Th. Stanley primo Derby Comite oriundos  
venditat. Quorum tertius & postremus Guiliel-  
mus Stanley reliquit Elizabetham filiam unicam  
& heredem uxorem Edwardi Parker Baronis  
Morley, matrem Guilielmi Parker, quem Rex Ia-  
cobus avito honore Baronis de Mont Eagle denuo  
exornavit, & nos, nostrique posteri universæ  
Britanniæ bono natum agnoscamus. Ex literulis  
enim subobscuris ad eum clandestino transmissis,  
& ab eo in medium tempestive prolatis, prodi-  
tio, quam efferata impietas machinari poterat  
*Britannia.*

longe nefandissima, in ipso fere extremo Rei-  
publicæ fato est deprehensa. Cum scelerati non;  
nulli sub execranda religionis larva, vi magna  
pulveris fulminalis conclavi Parliamentario  
supposita, ad Principem & patriam uno mo-  
mento diffundum jamjam ignem admoturi sta-  
rent.

*Lonus* hinc paucula permensus millaria Lancaster.  
ad Australem ripam videt, præcipuum regio-  
nis oppidum, quod incolæ verius Lancaster, uti  
& Scotti, qui *Loncastell* vocant à *Lono* flu. LONGOVICVM & nomen superstes, & flumen sub-  
terlabens quodammodo argumentantur, ubi sub  
Britanniarum Duce, ut est in notitia Provin-  
ciarum, numerus Longovicariorum, qui à  
loco nomen sunt mutuati, stationem habuit.  
Quamvis hodie oppidum sit minus frequens,  
& incolæ omnes rei rusticæ vident, (circum-  
vicinus enim ager cultus est, apertus, florens,  
nec sylvis nudus) in Romanæ tamen vetusta-  
tis argumentum Cæsarum nummos nonnum-  
quam inveniunt, maxime ubi fraterculi suum  
claustrum habuerunt. Aream enim ibi anti-  
quæ urbis fuisse prædicant, quam Scotti cun-  
cta obvia excursione repentina populati, an-  
no Salutis CCCCXXII, succenderunt. Ex  
quo tempore ædificare cœperunt proprius col-  
le viridantem ad flumen cui imponitur ca-  
strum, non magnum quidem, nec vetustum,  
sed elegans & firmum: adsidetque, ipso colle  
unicum quod habent templum, ubi Monachi exteri olim suum habuerunt coenobiolum.  
Sub quo ad pontem pulcherrimum, quo *Lonus*  
consernitur, in ipsa præcipiti collis declivitate,  
parietis antiquissimi, & Romani operis pendet  
fragmentum præceps, *Wery wall* vocitant illi, re-  
centiori Britannico hujus oppidi, ut videtur, no-  
mine. Hoc enim oppidum illi *Caer Werid*, id est,  
*Vrbem viridem* dixerunt, à viridanti forsitan illo  
colle, sed hæc viderint alii. Ioannes Moritonii  
& Lancastriæ Dominus, qui postea Rex Angliæ,  
Burgenibus suis Lancastria charta confirmavit libertates  
omnes quas Burgenibus Bristolie concesserat. Edwar-  
dusque Tertius, anno regni sui XXVII, concessit  
Majori & Ballivis villa Lancastria, quod Placita & Se-  
fiones non alibi tenerentur. Polum Arcticum, ut hoc  
non omittam, grad. LXXXI, scrup. V, elevatum  
aspicit, ab ultimo vero Occidente part. XX, scrup.  
XLVII, removetur.

Dum ex hoc colle circumspicerem, ut *Loni*  
ostium viderem, quod non multo inferius effun-  
ditur, Forneß altera pars hujus regionis ad Occa-  
sum oculis occurrit, quam mare quodammodo Four-  
nessesse. avulsit. Cum enim littus hinc se vastius in Oc-  
casum projiceret, Oceanus quasi infensior obsti-  
natius illud lancinavit, imo intrudescente æstu  
littus devoravit, finisque tres laxiores efficit, sc.  
*Kentsand*, quo Ken fl. emittitur, *Levensand*, &  
*Duddensand*, inter quos ita prominet terra, ut inde  
sit nomen sortita. Forneß enim, & Foreland, idem  
est nobis, quod Promontorium anterius Latinis. To-  
ta, nisi ad mare, excelsis montium cacuminibus,  
& crebris rupium molibus assurgit, (Forneß-fil.  
indigitant) inter quos Britanni diu securè agita-  
Forness.  
Fes.  
vere, his defendantis naturæ munimentis freti,  
licet

*Quick-  
fands.*

*Lune fl.*

*Salmones.*

*Over Bur-  
row.*

*Bremeto-  
nacum.*

*Kernellare  
quid.*

*Hornby  
castle.*

*Barones*

*Montis*

*Aquila.*

*Proditio  
Pyriopul-  
veræ.*